

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

H. d. 12.

v.
am 5
AUSPICIIS SACROSANCTÆ
ET INDIVIDUÆ TRINI-
TATIS,

QUÆSTIONUM
METAPHYSICA-
RUM DECAS,

Quam

Consensu Amplissimi ordinis Philosophici
in inclyta V Vitebergensi Academia,

P R Æ S I D E

M. ÆGIDIO STRAUCHIO,
Facultatis Philosophicæ adjuncto,

publicè tuebitur

SAMUEL STANGIUS OLDEN-
burgensis Frisius.

*13. Februarij in Auditorio minore, ho-
ris antemeridianis. 39*

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Johan. Gorman.
Anno M. DC. VIII.



Clarissimo & Doctissimo Viro,

Dn. M. ERASMO SCHMIDT,
Græcæ linguæ in Illustri VVitebergensium
Academia Professore Publico, & Fa-
cultatis Philosophicæ pro
tempore Decano

spectabili,

ut, &

*Consultissimis, Prudentiâ, Pietate, longoq[ue]
rerum usu præstantissimis Viris,*

Dn. GERHARDO ZUR HELLEN,

&

Dn. HENRICO CRITENIO,

Reipub. Oldenburgicæ Camerario,
& Syndico, meritissimis:

*Præceptori, Fautoribus & Promotoribus
suis perpetuò colendis,*

Disputationem hanc Metaphysicam in Observantiæ
& honoris debiti tenentior certissimum

offert

Respondens.



D. O. M. A.



IHI videtur veritas sui ipsi-
us secum afferre commendationem. *Scalig. exerc. 307. sect. 11.* Quod ergo Deus Ter. Opt. Max. auspiciatò fieri velit, haud abs re nos facturos speramus, si plures, è scientiarum omnium regina ac domina; Metaphysica, hinc inde petitas quæstiones veritatis & scientiæ desiderio hac vice sub placidam *diæon. 0-*

ψ revochemus, ut, quod unius forte parere posset satietas, fastidium, alterius tollat novitas.

QUÆSTIO PRIMA.

Cur cognitio veritatis difficilis?

Πάντες ἀνθρώπων τὰ εἰδέναι ὀρέζονται ἢ Φύσει 1. Metaph. 1.
Naturale hoc sciendi desiderium non nisi veritatis cognitione expletur: Ad veritatis ergò cognitionem tendimus omnes. Sed quotusquisque quæso nostrum est, qui eam assequatur? In omnibus pro dignitate rei hætenus eam obtinuit mortalium nullus, Philosophorum singuli pro ejus investigatione aliquid plusvè minusvè conrulerunt. Adeò difficilis est cognitio veritatis. Causam difficultatis hujus scire aves? En accipe. Sicut ad omnem actionem certa requiritur proportio inter agens & patiens, ita quoq; ad intellectionem, quæ videtur alteratio vel potius perfectio quædam, *Scal. exe. 307. sect. 13.* necessaria est proportio inter intellectum & rem intelligibilem, unde hac proportione cessante ipsa intellectio impeditur. Pro diversitate rerum intelligibiliû, quarum aliæ sunt inferiores, plus potentia, quã

A 2

actus

119



actus in se habentes, aliæ superiores, magis de actu, quam potentia
participantes, proportio hæc solvitur vel ex parte rerum, vel ex par-
te intellectus nostri; Quoad res inferiores fundatur hæc impropor-
tio non in intellectu, cuius virtus ad earum perceptionem esset suffi-
ciens, sed in rebus ipsis, quæ, quia plus potentia, quam actus in se
habent, & verò unumquodq; in tantum est cognoscibile, in quan-
tum est actu, parum etiam cognoscibiles sunt: Quoad res superio-
res & perfectiores sunt hæc ex se satis cognoscibiles, difficulter ta-
men cognoscuntur ob intellectus nostri imbecillitatem, ad naturæ
manifestissima sæpè eam obtinentis rationem, quam noctuarum
oculi habent ad radios Solares: *Aristot. 2. Metaph. 1.* Ad priorem
classem refertur materia prima entitatis omniū minimæ, ad posteri-
orem DEUS & substantiæ separata, entitatis omnium perfectissima.
Exemplo res manifesta: Non videtur lumen Solare, non videtur e-
tremitas acus; Illius causa est in oculo, hujus in objecto: Non
comburitur stipula sicca, quia ignis minus debilis, non comburitur
lignum viride, quia materia comburenda est indisposita. *Iavellus*
lib. 2. Metaph. quest. 2. Hallucinatur proinde Scotus difficultatem
cognitionis, referens ad solum intellectum, hallucinatur item He-
raclitus Ephesius causam difficultatis ascribens solis rebus: Dubi-
tas, quid sentiendū sit de rebus materialibus ex actu & potentia com-
positis, unde in hisce difficultas cognitionis pendeat: *Fonseca lib. 2.*
Metaph. cap. 1. quest. 1. sect. 2. arbitrans quæri hic de ea solum difficul-
tate, quæ est in confusa & simplici, non verò exacta & distincta re-
rum cognitione, res illas naturales ad neutrum horum ordinum
referendas censet: Verum cum nulla manifesta dari possit ratio,
qua probaretur sermonem hic esse de cognitione confusa solum,
non verò distincta, in qua summa conspicitur difficultas, multi-
plexque offertur errandi occasio, imò è textu contrarium evincatur,
concludimus quæstionem hic institui de omni difficultate in co-
gnitione & confusa & distincta, referimusque res illas materiales ex
potentia & actu compositas, ad priorem classem, quia non ipso a-
ctu, sed potentia intelligibiles sunt, plurimumq; potentia admix-
tum habent *Verfor lib. 2. Metaph. quest. 2.* *Tataretus in Comment. super.*
3. Metaph.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

*Num potentia resistendi constituat peculiarem
potentia speciem ab activa & passiva
distinctam?*

Non temerè nova Entia in naturæ censum invehenda sine manifesta necessitate. Videamus ergò, an potentia resistendi ad alterutram harum referri commodè possit? Resistentiæ vox accipitur vel pro *resistentia formali*, facta per immediatam repugnantiam, ne agens agat in id, in quod agere nititur, vel pro *resistentia radicali* per diminutionem virtutis alterius facta. Neutra harum resistentiarum peculiarem constituit potentia speciem. Non prior, quia hæc potius impotentia ac incapacitas subjecti ad formam recipiendam, orta à præsentis forma, quæ seipsam conservare cupiens, actionem agentis vel penitus impedit, vel quadantenus retardat, eò quòd actione hæc admissa forma illa præsens multum labefactetur, imò tandem penitus destruat, unde hæc resistentia potius privativum quàm positivum quid, seu non tam actio, quàm actionis non admissio est, ob id rebus inanimatis concessa, ut, sicuti homines armis propria industria acquisitis, sicut boves cornibus, equi pedibus posterioribus, canes dentibus, ita res inanimatæ hac resistendi potentia, externam injuriam sibi illatam propulsent: Hinc potentia hæc non in omnibus eadem, sed id, quod magis activum minus est resistivum, & contra quod magis resistivum minus activum, ut ita dum in quantum unum agit, in tantum alterum resistit, singulæ res naturales in suo conserventur esse, nisi fortè, propter majorem partium assumptarum quantitatem, unius potentia agendi potentiam resistendi alterius superaverit, tunc enim quod infirmius, succumbit: Non posterior, quia sic Resistentia non videtur re, cum actionem alterius imminuere nihil sit aliud, quàm agere, sed sola ratione & extrinseca denominatione distingui à potentia agente, ut quatenus à principio interno provenit actio, quatenus verò virtutem alterius imminuit, Resistentia indiget, quæ tamen virtutis diminutio tanta non est, ut constituat peculiarem speciem à potentia activa & passiva distinctam, cum non vagetur extra potentia activæ
latitudinem

latitudinem formalem, neque primario & per se, sed secundo ad resistendum instituat, quatenus resistentia illa vim agendi consequitur, non secus ac sicuti potentia generandi simile & corrumpendi contrarium non sunt duæ, sed una potentia, eò quòd hæc non primario, & propter se à natura intendatur, sed tantum priorem illam consequatur. Contenti ergò simus duplici illa potentia, Activa una, Passiva altera, tum quia ad perfectam actionem non sufficit actionis productio (en activam) sed requiritur actionis in subjecto apto & idoneo receptio (en passivam) tum quia in entibus duplex solum conspicitur actus, unus receptionem alter operationem formæ concernens, & verò sicuti motus per terminos, ita potentia per actus distinguuntur, secundum illud, Actus est qui separat, 7. Metaph. § 49. 4. Metaph. 12. 9. Metaph. § 2. Soncinas lib. 9. quest. 6. Zabarela lib. de Reactione.

QUÆSTIO TERTIA.

Num detur scientia Entis per accidens?

Ens per accidens accipitur, vel *formaliter* in actu signato, pro natura & ratione Entis per accidens, seu pro conceptu illo communi, quem importat nomen hoc Ens per accidens; vel *materialiter* in actu exercito, uti interpretes latini loquuntur, pro re nomine Entis per accidens significata: Priori modo de Ente per accidens agit scientia, quatenus concipitur per modum unius rationis formalis, per se suis præditæ proprietatibus; atque sic Philosophus non solum Ens dividit in id, quod est per se, & in id, quod est per accidens, verum etiam Entis per accidens naturam & rationem satis accurate indagat, 7. Metaph. 7. Metaph. 2. non quidem per & propter se, sed ut ex generali illa Entis per accidens ratione colligat specialem ejusdem considerationem ad Metaphysicam non spectare, imò nullam de eo secundum speciem haberi posse scientiam: Posteriori modo, Ens per accidens duplex iterum constituitur (reliquas enim acceptiones Entis per accidens, quas adducunt *Javellus lib. 6. Metaphys. quest. 9. Soncinas quest. 13.* tanquam parum ad præsens spectantes consulto præterimus) unum in ratione entis, quod ex duobus vel pluribus Entibus in actu, sive diversorum prædicamentorum, sive diversarum unius prædicamenti specierum, modo unum alteri accidat in sua ratione & specie

& specie jam completo conflatum, non per se, sed per accidens unum est, cujus tria genera recenset Philosophus: 1. Quando accidens cum accidente ut justus Musicus. 2. Quando accidens cum subjecto ut justus homo. 3. Quando subjectum cum accidente unitur, ut homo justus: Alterum in ratione effectus, quod quatenus tale non habet causam per se, sed præter intentionem agentis primarij evenit, ut si quis fodiens agrum, inveniatur thesaurum. Utriusque hujus Entis per accidens certa quidem cognitio dari potest. Scientia verò propriè sic dicta & per demonstrationem acquisita non datur: Non prioris, tum, quia Ens tale non est unum per se, cum duo illa entia ex quibus constat, non una, & eadem generatione generentur, quam identitatis notam putat *Philosophus* & *Metaph. 2. § 3.* tum, quia propositio de tali ente formata non est κατὰ παντός neque κατὰ αὐτό, quales scientificæ propositiones esse jubentur, *1. post. 4.* Obstant subiecta scientiarum subalternatarum, seu uti *Scaliger exer. 322.* mavult, compositarū, quæ videntur entia per accidens, & tamen sub scientiam cadunt; Verum memineris scientiam horum haberi primariò secundum eam partem, secundum quam entia per se sunt, & congruunt cum subjecto scientiæ subalternantis; subalternata siquidem à subalternante subjectum integrum, tam quoad rem consideratam, quam modum considerandi sumit; *Zabarella lib. de tribus præcogn. cap. 13*: Secundum alteram verò, secundum quam Entia per accidens sunt, secundariò & propter concomitantiam ac unionem prioris, uti habet *Scotus 6. Metaph. quest. 2.* Sic opticus propositiones suas demonstrat de linea visuali, primariò, quatenus est linea: nihilominus tamen, quia hæc duo entia mediante intellectu unita sunt, quod de uno demonstratur, de altero quoque verum est: Non posterioris, quia hoc neque necessarium est, neque causam necessariam ac per se habet, neque semper sed rarò contingit. *Bonfeca lib. 6. Metaph. 2. quest. 1. Versor lib. 11. quest. 5.*

QUÆSTIO QUARTA.

Num Ens sit genus univocum Substantiæ & Accidentis?

Affirmativa

Affirmativa placet *Timplero lib. 4. Metaphys. cap. 1. quest. 3.* Negativa *Porphyrio in Isagoge cap. 3.* decem categorias decem summa genera, Ens verò non commune harum omnium genus asserenti. *Aristoteli γ Metaph. 1.* τὸ ὄν πολλαχῶς μὲν λέγεται, ἀλλὰ πρὸς ἓν ἢ μίαν ἢ τὰ φύσιν, ἢ ἔχ' ὁμονύμως, ἀλλ' ὡσαύτ' τὸ ὑγιεῖν ἅπαν πρὸς ὑγίαν, quem locum ad solum Ens absolute sumptum, & ad DEUM ac creaturas relatum, non verò ad Ens creatum, complectens sub se substantiam & accidens, falso & præter mentem Philosophi accommodat *Timplerus*, cum in immediatè sequentibus ipse Philosophus expresse entis vocem ad Entia creata restringat; Idem Philosophus prædicationem Entis de substantia, & accidente univocam non esse expressius adhuc edocet *3. Metaph. 1.* πρῶτον ὄν τὸ τί ἐστιν, ὅπερ σημαίνει τὴν οὐσίαν, τὰ δὲ ἄλλα λέγεται ὄντα τῷ τί ὄντως ὄντι τὰ μὲν ποιότη- τας εἶναι, τὰ δὲ ποιότη- τας, τὰ δὲ πάθη; τὰ δὲ ἄλλοι τοῖς τόν. Sic duas contrarias vidimus opiniones, Utra harum verosimilior? Nobis in rebus rationis omne id, quod Aristoteli contrarium meritò suspicatum, τῆ μιν ὁμοιοτητα γὰρ τὸ πρὸς βύβατον, *1. Metaph. 3.* Aristotelis alumni sumus, nec pœnitet *Scal. exerc. 23.* Suadet ratio: Conspecierum, una definitioni alterius non inseritur, sic homo non per equum, neque bos per asinum definitur, Accidens definitur per substantiam, *Zabarel. lib. 4. de method, cap. 14.* ἀνάγκη ἐν ἑκάστῳ λόγῳ τὴν τῆς οὐσίας λόγον ἐνυπαίρειν *3. Metaph. 1.* Accidens enim est ens per aliud & propinquum non Enti *Scal. exerc. 10.* Substantia proinde & accidens de uno genere entis univoco non participant, Ergonè erit genus ὁμόνυμον utriusque: Neque hoc verum: Alias siquidem nulla penitus ratione essentia esset similitudo inter substantiam & accidens, ex essentia unius non posset iudicium fieri de essentia alterius, utrumque unius scientia non esset, quod tamen docet *Philosophus 4. Metaph. 2. 1. Metaph. 3.* Rectius Philosophus Ens substantia & accidentis genus indigitat πρὸς ἓν, ἀφ' ἑνός, πρὸς μίαν ἀρχὴν, πρὸς μίαν φύσιν, κατὰ πρῶτον κῦμαρον, interpretes nonnulli vocant ἀνάλογον, quod, uni speciei soli communicatur immediatè proprie & per se, alteri verò mediatè, & secundariò in ordine ad speciem primariā, unde regula: *Analogum quod dicitur ab uno non significat naturam aliquam diversam ab analogato, sed proximè significat omnia analogata, unum tamen principaliter*

cipaliter alterum prout pendet ab alio: Primario siquidem dicitur Ens de substantia, quæ per se subsistit, accidentis pro sua subsistentia haudquaquam indiga, secundario verò de accidente, cujus essentia tota est posita in inessendo, quatenus hoc à substantia pendet, inque sinu ejus ceu fovetur, perinde ut sanum principaliter de animali sanitatis capaci, secundario de urina, diætâ, medicamentis, &c. dicitur, quatenus videlicet hæc certum ad animal obtinent respectum, ejusque sanitatem, vel significant, vel conservant, vel restituunt. *Fonseca lib. 4. Metaph. cap. 2. quest. 1. Soncinas quest. 4. Versor quest. 1. Lavellus quest. 1.*

QUÆSTIO QUINTA.

Num actus & potentia relativè opponantur?

Pulcherrima hæc quæstio, in cujus enodatione in varias Philosophorum opiniones multa oratione inquirere possemus. Nobis in Lyæo brevioribus spacijs ambulandum est. Communis est opinio Actum & Potentiam Relata esse; Communis quidem est, vera tamen non est, si Relationem non transcendentalem seu qualemcunque respectum, qui fermè in singulis discretis affectionibus conspicitur, sed prædicamentalem & propriè dictam intelligas. Qui enim ad *ἰὼν πρὸς τὴν* categoriam referes ea, quæ neque per se mutuò definiuntur, neque se mutuò ponunt & tollunt, sed quorum unum positum tollit alterum & contra? Qualis ergò erit oppositio actus & potentiæ: nam opponi manifestum est? Ad privativam propiùs accedere arbitror cum *Zarabella lib. 1. de materia prim. cap. 9.* Potentia enim ex ea parte, ex qua opponitur actui, semper habet adjunctam privationem actus, imò secundum Zabarellam sola ratione discrepat à privatione, quod utraque & absentiam actus & aptitudinem ad eum suscipiendum, sed illa primò aptitudinem, secundò absentiam, hæc primò absentiam, secundò aptitudinem denotet, unde etiam potentia definitur per actum, non contra actus per potentiam, nisi fortè qualicunque & imperfecta descriptione, uti

B

loquitur

loquitur Thomas 9. *Metaph.* § 13. *landunus* 9. *Metaph. quest.* 8. *Iavellus* *quest.* 11. *Verfor. quest.* 4. perinde, ut alias inrer privativè opposita privatio per habitum, non contra habitus per privationem definiri consuevit. Opponimus autem potentiam actui non ratione aptitudinis ad recipiendum actum; sic enim eidem amica, & non tam opposita, quam diversa est, sed ratione absentiae connotatae, sicq; infumum abit exceptiuncula *Timpleri lib. 5. cap. 3. quest.* 14. absurdum judicantis potentiam, rem quippe positivam, actui itidem positivo privativè opponi.

QUÆSTIO SEXTA.

Num omnis potentia sit de secunda specie Qualitatis?

Nequaquam. Qui enim aliàs Ens in genere & uti Averrhoës loquitur essentialiter & quatenus Ens divideretur in Actum & potentiam *Metaph.* 1. *Bellovisius tract.* 2. *de transcend. cap.* 8? Qui potentia activa D E O, cujus simplicitas omnem qualitatis inhæsi- onem simpliciter respuit, competeret? Qui potentiae nomen arti- bus ac virtutibus, non ad secundam, sed primam Qualitatis speci- em pertinentibus, attribueretur *Metaph.* 5? Qui potentiae vox omni principio agendi & patiendi etiam substantiali, ut materiae primae, quatenus est receptiva formarum & formae substantiali, quatenus est principale agendi principium accommodaretur? Qui ex po- tentia & actu unum per se fieret, cum ex substantia & accidente ori- atur unum per accidens? Qui tandem actus & potentia omnes per- vagarentur categorias, quod ex *Arist.* 12, *Metaph.* § 26. reperunt *Avero- rhoes* 6. *Phys. com.* 9. *Thomas part.* 1. *quest.* 77. *art.* 1. *Soncina* 12. *Metaph.* *quest.* 26. *Iavellus quest.* 8. Refert tamen Philosophus potentiam ad secundam Qualitatis speciem. Ergo aut utramque aut alterutram, non alterutram, quia legentibus Aristotelem manifestissimum est in specie illa collocari, tam agendi quam patiendi potentiam, Ergo utramque *Zabarella lib.* 1. *de materia prima cap.* 9. Verum nihil con- tra nos. Utraque enim in Qualitatis est categoria, non prout ad omnia entia, quae cum actu dividit, se extendit, sed prout certae ali- cui speciei

Cui speciei entis inest, perinde ut Bonum transcendentaliter sum-
ptum omnibus categorijs superius est, ad certam verò speciem entis
restrictum in Qualitatum censum commodissimè refertur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

*Num genus possit conservari in una
specie?*

In genere duo consideranda, *essentia & potentia*, *Clypeus Tho-*
mistarum quest. 44., Essentia generis: tota & perfecta inest singulis
speciebus, ita, ut propria generis natura tota conspiciatur in una
quaque specie. Est enim genus ἀμερές 2. post ult. § 6. ἀπαράλλα-
κτον καὶ κοινὸν ὁμοκλήτως, σοιχείον καὶ ἀρχὴν specierum, *Porphyrus*
cap. 4. Ergò cui inest totum inest, singulæque species de vera &
perfecta generis definitione ex æquo participant, quam participatio-
ne Philosophus μέθεξι vocat, & ἀκοινωνία distinguit 5. *Top. 4. § 5.* Hoc
respectu genus totum conservari posset in una specie, quia tota ge-
neris essentia in una quavis specie seorsim sumpra reperitur, ut posi-
to casu reliquis animalis speciebus singulis sublatis solùm hominem
superesse, adhuc essentia animalis salvaretur in homine, ipseque ho-
mo verè & esset, & diceretur animal. Ratione potentiae seu Uni-
versalitatis non potest genus in una conservari specie: sed semper re-
quirit plures; sive actu, sive potestate, tum quia divisibile est per
differentias oppositas, opposita verò non possunt uni inesse subjecto,
tum quia hæc est natura generis, ut pluribus inesse aptum natum sit,
Scalig. exerc. 307. sect. 22. Hinc *Porphyrus cap. 3. ἀεὶ εἰς πλείω εἶδη ἢ*
ἢ μὴ ἓ γένος, & *Philosophus 4. Top. 1.* illud genus judicat viciosum,
quod æquè late patet ac species, & *cap. 3.* cuius non sit alia aliqua spe-
cies præter positam. Imò *Thomas lib. 1. sent. dist. 19. quest. 4. art. 2.*
quod ipsum reperit *Zabarella in comment. super 1. poster. § 38.* impossibi-
le judicat unam solùm generis alicujus speciem in natura esse posse,
quia genus dividitur per differentias contrarias, & verò uno contra-
riorum in natura existente necesse est, & alterum in natura inveni-
ri, uti habet *Philosophus 2. de cælo § 18.* *Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 28.*
quest. 13. *Tataretus in com. super librum predicabilium.*

B 2

QUÆSTIO



QUÆSTIO OCTAVA.

Num à privatione detur regressus ad habitum?

Privationis vox interdum improprie remotionem actus, potentia interim remanente, interdum proprie negationem, & actus, & potentia denotat: In priori acceptione datur regressus à privatione ad habitum, quia actu sublato non statim omnis tollitur potentia, quem errorem Megaricorum fuisse, inde enatum, quod, quia omnia ex necessitate evenire arbitrati sunt, ea quæ non eveniunt evenire non posse putaverint, refert *Philosophus* *Metaph. 3.* Levi ergò occasione oblata potentia superstes in actum vicissim erumpere potest, unde naturalia etiam tunc, quando ipso actu talia esse non sentiuntur, modò potentiam retineant, talia pronunciantur, Sic *Philosophum* & eum, qui ipso actu de rebus Philosophicis differit, & eum, qui licet actu non differat, potentiam tamen differendi habet, vocamus. In posteriori acceptione naturaliter loquendo impossibile est, ullum dari regressum à privatione ad habitum, quia omnem actum præcedit potentia, in privatione verò totali omnis potentia sublata est, sic, qui totaliter cæcus est, naturaliter visum nunquam recipit.

QUÆSTIO NONA.

Num causa secunda revera aliquid agant in productione effectus?

Thomas part. 1. quæst. 105. art. 5. refert, quosdam statuisse causas secundas in productione effectus revera nihil agere, sed solùm DEUM omnia immediatè operari in causis secundis, exempli gratia, Ignem non calefacere, sed DEUM in igne. Verùm quamvis non negemus causas secundas in se, & à se nihil efficere posse, cum in DEO simus, vivamus, moveamur; quatenus tamen certas agendi

gendi vires divinitus sibi communicatas habent ad productionem effectus efficacissime concurrere, omnino statuimus. Alias siquidem ex rebus creatis ordo causæ & causati subtraheretur, quod impotentiam quandam DEI creantis argueret, perinde ut potentia agentis indicium est, effectui vim agendi communicare: Deinde nulla rerum creatarum proprium suum assequeretur finem. Materia enim semper est propter formam, Forma, quæ est actus primus, est propter operationem, quæ est actus secundus, Operatio finis & perfectio est rerum creatarum; Si itaque res creatæ nihil operarentur, proprio destituerentur fine, sicque penitus essent frustraneæ, quod absurdum: Ergo agunt aliquid. Manet tamen nihilominus DEUS causa primaria actionum naturalium, quatenus & dat & conservat formas rerum naturalium omnium operationum, quæ in naturalibus conspiciuntur, causas & verò, qui dat formam, dat ea omnia, quæ formam illam consequuntur, unde etiam secunda agentia non agunt, nisi in virtute primi agentis DEI. *Durandus 2. sent. dist. 1. quest. 5.* Excipis, unum effectum non posse provenire à duabus causis. Si ergo DEUS est causa omnium operationum naturalium, non poterunt eadem ascribi agentibus secundariis: Verum scias, unum effectum non posse provenire à pluribus causis, scilicet ejusdem ordinis, posse interim provenire à diversis diversorum ordinum causis, quarum inferior semper subordinetur superiori. *Iarellus lib. 5. Metaph. quest. 7.*

QUÆSTIO DECIMA.

Num accidentia habeant materiam ex qua?

Negat hoc *Scaliger exer. 298. sect. 16. & exer. 325. sect. 2.* Ratio negationis hæc est. Accidentia sunt formæ simplices: In formis simplicibus non datur compositio ex materia & forma, proprie sic dictis. Non itaque in accidentibus dabitur materia ex qua proprie sic dicta. Deinde, quæ ex materia sunt composita, per se generantur & corrumpuntur: Formæ accidentales, perinde ut substantiales, per se ac separatim neque generantur neque corrumpuntur. Sicuti enim

enim forma equi non fit, sed equus; ita etiam non albedo, sed album
generatur. Ergo formæ accidentariæ non sunt ex materia compo-
sitæ. Adhæc si accidens esset compositum ex materia & forma, se-
queretur, quod albedo posset fieri, nigredo; quod tamen non con-
ceditur, licet concedatur album fieri nigrum. Consequentia patet,
quoniam illa materia, quæ substat formæ albedinis, posset abjicere
illam, & transmutari ad formam nigredinis, sicuti una substantia fit
alia per transmutationem materiæ à forma unius ad formam alteri-
us: Excipis materiam hanc accidentis nullius alius formæ, quàm
ejus, quam ipso actu habet, capacem esse. *À TO 77V.* Sequeretur e-
nim formam accidentis perfectiorem forma substantiali: dum illa
universam materiæ potentiam expleret, hæc non item: Quamvis
verò materiâ propriè sic dicta accidentia destituantur, habent tamen
materiam in qua, seu subjectum, quæ cum materia propriè sic dicta
in eo convenit, quod utraque aliud suscipere possit, illa formam
substantialem, hæc accidentariam, differt verò ab eadem, quod illa
à forma substantiali accipiat esse simpliciter, hæc verò ab acciden-
taria tantum esse secundum quid *Soncinas 12. Metaph.*

quest. 26. Iavellus quest. 8. Versor lib. 8. quest.

1. Francofordiani 2. Metaphys.

quest. 1.

§ SOLI DEO GLORIA.



Ad Hu-

AD

Humanissimum ac Doctissi-
mum DN. SAMUELEM STANGIUM Ol-
denb. Frisium, Philosophiæ & SS. Theol.
Stud. exercitationem Metaphysicam insti-
tuentem, amicum & commensalem
suum mellitissimum.

D Electantur equis multi; multiq; catellis
Gaudent: nonnulli Scytica sacra
colunt:

Divitias alij cumulant fluxas, agit atq;

Illorum nummi corda sinister amor:

Concurrunt alij, quibus est odiosa salutis

Optima pax virtus, Martis & arma gerunt:

Arrident alijs Bacchusq;, Ceresq;, Venusq;:

Atq; sequi multos ocia multa juvat.

Cuncta sed hac spernis STANGI charissime, nilq;

Nocte dieq; magis quam tibi Musa placet.

Dum laqueis alijq; dolum cervis meditantur,

Præclaras artes laude venator agis.

Dum pugnant alij scyphis, & corpora vino

Implent, virtutis pocula plena bibis:

Atq; mantentant alij dum prælia, seq;

Mavorti credunt, prælia lingua gerit.

*Blandicias, animus certè, tibi dicere, non est:
Hæc quoniã mihi sunt cognita, vera loquor.
Testantur cuncti mecum doctiq; probiq;
Palladis in castris cum quibus esse soles.
Hæc ego cur autem: docet experientia vates,
E cunctis quo nil certius esse potest.
En! quid enim pandit rursũ nova pagina curæ?
Num faciunt dictis hæc tua signa fidem?
Sic sodes insta; faciet DEUS arbiter orbis,
Ne tuus in casum sudor abire queat.*

Simon Brandt

Phil. & SS. Theol. Stud.

A L I U D.

Scilicet ingenium placida mollitur ab arte
Et Studijs mores convenienter eunt.
Ergò juvat doctas didicisse fideliter artes,
Divinus veluti Naso poëta canit.
Sunt etenim vitæ nervi fontesque bonorum
Summa domique harum est & foris utilitas.
Hinc generosa capit preciosaque semina virtus
Artibus atque alijs mille dat una vias.
O igitur felix, ô terque quaterque beatus
Artes qui didicit cum pietate bonas.

Zacharias Schmidt

Vitebergensis

Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe
an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17







an 5

B.I.G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ROSANCTÆ
UÆ TRINI-
S,

MONUM
YSICA-
CAS,

rdinis Philosophici
genfi Academia,
I D E

TRAUCHIO,
hica adjuncto,

itur
GIUS OLDEN-
rifius.
torio minore, ho-
idians. 39

R G Æ
Johan. Gorman.
C. VIII.